S. D. Clarissime Vir, patrone reuerenter colende, de recuperata valetudine tibi gratulor, et toto pectore gratias ago Deo fonti vitae et huius beneficij autori. Hunc oro, ut cum nunquam minus Respub. sapienti consilio et eximia moderatione tua carere potuerit quam his infoelicibus temporibus, in quae aetas nostra incidit, porro te ut seruet ac roboret. Controuersiarum quibus nunc concutiuntur Ecclesiae me non facio iudicem, et in pagellis quae circumuolitant alia ex alijs emissae angulis, reperio dissimilitudinem et discrepantiam tantam, ut imperito existimem fore difficile inde eruere aliquid certi, in quo resistendum sit et acquiescendum. Socero ita videbatur, si controuersiae explorarentur ad normam doctrinae, quae fuit in prima et puriore Ecclesiae ante inuectum Pontificium dogma, facile solui et explicari nodos posse, quibus res intricantur. Etsi autem lacerari nomen Sanctae animae tam crudeliter post fata, grauiter fero et acerbe, tamen reprimo me, et Deo καρδιογνώστῃ et iusto iudici vindictam commendo. Amisimus hoc anno et Sabinum, quem reuersum a legatione Italica cum febre quartana, hac ipsa deficientibus viribus die decima Mensis Decemb. absumpsit. De decretis Naumburgensibus dudum vos cognouisse non dubito, quibus si acquiescerent omnes, minus esset futurum turbarum in Ecclesia et certaminum. Bene et foeliciter vale. 13 Martij

rus.

Epistolarum quas a socero habes, quaeso per occasionem ut memineris.